



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

113. An sie diuersa sint horologia, & vnum sonuerit horam mediae noctis, alius verò non, possit qui tunc bibit, vel comedit Missam dicere, vel communicare sequenti die? Ex p. 4. tr.3. res. 19. p. 66.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

mo si huiffse dos opiniones probables, que puede elegir la que quisiere, salvo si vno dellos fuisse tal que de ordinario no anduiffse bien concertado.] Sic ille. Ad argumentum verò Rodriguez respondeo, quod quando quis operatur cum opinione probabili, vt est in casu nostro, non operatur irreuerenter circa Sacramentum.

3. Notandum est verò hic cum supradictis Doctoribus, quod si tantum sit vnum horologium, & vbi cœpit sonare duodecima, aliquis biberet, licet quando sonaret vltimus pulsus desisset bibere, non poterit die sequenti communicare, quia quando primus pulsus horæ auditur, iam est hora expleta, & horologium est tantum testis id indicans; & licet diuersi sint pulsus, id euenit, quia nequit vno pulsus, hora duodecima indicari: sicut vno pulsus hora prima indicatur. Ex quibus infert Sancius *vbi supra in selectis, disp. 42. n. 20.* quod qui buccellam habet masticans, & audit primum pulsus horæ duodecimæ noctis, tenetur incontinenti de se eijcere buccellam, si die sequenti Sacramentum Eucharistiae velit sumere, vel Missam celebrare; postquam verò buccellam eiecerit, non tenebitur esse nimis anxius ad abluendum os. Si tamen masticat buccellam de materia carnis; & dies sequens sit ieiunij, non tenetur illam eijcere, etiam sub veniali, non enim cum tanto rigore illud præceptum positiuum obligat famoto contemptu. Ita Sancius.

RESOL. CXIII.

An si diuersa sint horologia, & vnum sonuerit horam media noctis, aliud verò non, possit qui tunc bibit, vel comedere, Missam dicere, vel communicare sequenti die? Ex p. 4. tr. 3. Ref. 19.

§. I. **A**ffirmatiuè respondet Ioannes Sancius *in selectis disp. 53. n. 3.* vbi sic ait: Si horologia diuersa sint, ad pulsationem primi poterit refectio fieri: sicut enim in odiosis ad vltimum potest appellari, ita possunt comedentes post horam duodecimam noctis ab vno horologio designatam crastino Eucharistiam sumere, si aliud horologium sonuiffse constet esu expleto. Ita ille, & ante illum alter Sancius *de matrim. tom. 1. lib. 2. disp. 41. n. 40.*

2. Sed nouissimè aduersus hanc opinionem insurgit Merolla *tom. 1. disp. 3. cap. 3. corollar. 11. n. 139.* vbi sic ait: Falsum est id quod subdunt aliqui, id est Sanchez, quod scilicet si diuersa sint horologia, & vnum sonuerit horam mediæ noctis, aliud verò non, potest qui tunc soluit ieiunium naturale communicare sequenti die, quia est veluti si essent duæ rationes, vel opiniones probabiles, liceret enim vtram illarum amplecti. Hoc, inquam, falsum est, quia in pari causa melior conditio præcepti possidentis, & opiniones probabiles sunt tantum speculatiuæ, & idèd homo tunc debet se gerere, ac quando factum est dubium. Ita Merolla.

3. At, pace huius viri docti, affirmatiuam sententiam non falsam, sed probabilem, & tutam in praxi esse existimo, & ideo illam non solum tuerentur vterque Sanchez *vbi supra*, sed etiam Fagundez *præc. 4. lib. 1. cap. 20.* Pharaonius *tract. de sacrament. Pœnit. in appendice sess. 3. cas. 14.* Vega *in summa, tom. 1. c. 14. cas. 12.* & Villalobos *in summa, tom. 1. tract. 1. diff. cult. 2. n. 7.* Vbi ita ait. [Si ay diuersos relojes, se ha de juzgar como si huiffse dos opiniones probables que puede elegir la que quisiere, salvo si vno dellos fuisse tal. que de ordinario no anduiffse bien concertado, y se aduertea que el primer golpe que

da el reloxe la hora, y ansi si beuio tras el, aunque no aya acabado de dar todos los golpes el reloxe, no podrá comulgar esse otro dia.] Sic ille; verum post hæc scripta inuenio sententiam Merollæ docere etiam Salas *in 1. 2. tom. 2. tr. 8. disput. vnica, sect. 2. num. 264.* vnde vtraque opinio est probabilis.

RESOL. CXIV.

An si quis comedat, vel bibat vsque ad vltimum vltimum horologii designantis horam mediæ noctis, possit die sequenti celebrare, vel communicare? Et an, qui post pulsus primum horæ quadrantis, vbi solent pulsare ante horas, seu pulsus maiores, in mediæ nocte biberet, aut comederet, possit Missam celebrare, aut communionem sumere? Ex p. 6. tr. 6. Misc. 1. Ref. 34.

§. I. **C**onspicuum est dubium, & illud negatiuè respondet Ioannes Præpositus *in part. 1. c. 1. D. Thomæ quest. 29. art. 6. dub. 5. n. 8.* Vbi sic ait: Si esset vnum horologium, & vbi cœpit sonare duodecimam aliquis biberet, licet quando foret vltimus pulsus, desisteret bibere, non posset die sequenti communicare: quia cum primus pulsus horæ sonaret, iam hora est expleta, & horologium tantum est testis id indicans: & si diuersi pulsus sint, id euenit, quia nequit vno pulsus duodecima indicari, sicut indicatur prima hora vno pulsus, quod omnino videtur verum, & videtur intelligi respectu locorum, in quibus non est vsus præludiorum in horologiis. Verum vbi est talis vsus, dubium esse potest, quando fit signum elapsæ horæ, an initio præludij, an postquam incipit primus pulsus horæ. Ad quod videtur dicendum, quod per se loquendo hora sit expleta, quando incipit præludium. Ita mihi retulerunt varij horologiorum directores à me super hac re consulti. Et quod sequitur, quod per se loquendo si quis in talibus locis biberet in initio præludij horæ duodecimæ, sequenti die non posset communicare, quia ab initio præludij incipit sequens dies, & per consequens tunc die non esset ieiunium ieiunium naturali. Hæc Præpositus, & ex parte Sanchez, & alij quos ego alibi citauit.

2. Non desinam tamen hic adnotare affirmatiuam sententiam probabilem esse secundum opinionem Martini Bresseri Societatis Iesv, de conscientia, *lib. 4. cap. 11. n. 107.* vbi sic asserit: Probabile videtur horam duodecimam durare moraliter vsque ad vltimum sonum; adeoque interim bibentem & comedentem non violare ieiunium vel naturale, vel Ecclesiasticum sequentis diei. Sed post hæc scripta inueni aliud dubium apud P. Lugo *de Sacra. disp. 15. sect. 2. n. 37.* an qui post primum pulsus horæ quadrantis, vbi solent pulsari ante horas, seu pulsus maiores, in mediæ nocte biberet, aut comederet, posset communicare. Et negatiuè respondet Lugo, quia cum incipit pulsari primus pulsus quadrantis est completa alia hora 12. & incipit hora alterius diei. Sed nouissimè Trullench *in Decal. tom. 1. lib. 4. cap. 2. dub. 4. n. 8.* putat hoc mathematicè verum esse, quia tamen moraliter pulsus leuiore quadrantis, & primus pulsus horæ maioris, computari possunt pro vnicò tempore, & quasi compleri totam horam vsque primus pulsus horæ maioris, & si Bresserus probabile putet vsque ad vltimum pulsus, idèd aliquis in tali casu posset dicere non esse à communionem abstinendum.